

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XLVII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.155ra-157ra)

Haec omnia locutus est ihesus in parabolis turbis. Et sine parabolis nichil loquebatur eis, ut impleatur, quod dictum est per prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum, eructuabo occulta ab initio mundi.

Commented [ND1]: [fol.155ra]

Marcus autem quoniam sicut poterant audire, loquebatur eis sermonem in parabolis. Deinde ostendens eum non noua constituentem, inducit prophetam, et hunc predicentem doctrinae modum, et docens nos christi consilium quoniam non ut ignorent, sed ut eos in interrogationem deducat, ita loquebatur, induxit, et sine parabola nichil loquebatur eis, quamuis multa sine parabolis dixit, sed tunc nichil. Et tamen nullus eum interrogauit, quamuis prophetas multotiens interrogabant ut iezechielem, ut alios multos. Hii autem nichil tale faciebant, quamuis sufficientia quae dicta sunt erant, in agoniam eos immittere, et erigere ad interrogationem. Etenim poenam maximam minabantur semper haec parabolae. Sed tamen neque ita moti sunt. Ideoque dimittens eos, abiit. Tunc enim ait dimittens turbas, uenit in domum ihesus, et nullus sequitur scribarum. Vnde manifestum est quoniam propter nichil aliud sequebantur, quam ut caperent. Quia uero non intelligebant quae dicebantur, iam dimisit eos, et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes, edissere nobis hanc parabolam, ait zizaniorum agri, quamuis est ubi uolentes discere, et formidauerunt interrogare. Vnde igitur hic eis libera est presentia? Audierunt quoniam uobis datum est nosse misteria, et confisi sunt. Ideoque singulariter interrogant, non multitudinem emulantes, sed dominantes obseruantes legem. His enim ait neque datum est. Et quid utique fermenti et sinapis dimittentes parabolam, de hac interrogant, ut manifestiores illas, dimiserunt, hanc autem, ut habentem cognationem ad predictam, et amplius aliquid ea ostendentem, discere uoluerunt. Neque enim secundo eandem quam dixit concupiscunt discere. Etenim multas uidebant ex ipsa apparentes minas. Ideo neque incusat eos, sed et dilatauit quae dicta sunt. Quod dixi semper, quoniam parabolas non secundum uerba prosequi oportet, quoniam multa inconuenientia sequerentur, hoc et ipse hic erudiens nos ita exponit hanc parabolam. Neque enim dicit qui sunt hii serui qui accesserunt, sed monstrans quoniam consequentiae cuiusdam gratia eos assumpsit, et ut duplicaret imaginem, illam dimittens partem, ea quae festinabant, et maxime rem continebant, et propter quae parabola dicta est exponit, monstrans seipsum existentem iudicem, et dominum omnium. Et respondens ait dixit eis. Qui seminat bonum semen est filius hominis. Ager autem est mundus, bonum autem semen, hii sunt, qui sunt filii regni, zizania autem, sunt, filii pernitiosi. Inimicus autem qui seminauit ea, est diabolus. Messis autem, consumatio seculi est. Messores autem, angeli sunt. Sicut igitur colliguntur zizania, et igni comburuntur, ita erit et consumatio seculi. Mittet enim filius hominis angelos suos, et congregabunt de regno suo omnia scandala, et eos qui faciebant iniquitatem. Et mittent eos in caminum ignis. Illic erit fletus, et stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Cum enim ipse sit qui seminat agrum suum, et ex regno suo congreget, manifestum quoniam et presens mundus eius est. Intuere autem eius et philathropiam id est amorem hominum ineffabilem, et ad beneficium promotionem, et ad penam alienationem. Cum enim seminet, per seipsum seminat, cum autem puniat, per alios. Mittet enim filius hominis angelos suos. Tunc iusti ait fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Non quia ita solum, sed quia hac

Commented [ND2]: in sermone add. super lin.

Commented [ND3]: [fol.155rb]

Commented [ND4]: est quod add. super lin.

Commented [ND5]: de semine add. super lin.

Commented [ND6]: eam add. super lin.

Commented [ND7]: instabant add. super lin.

Commented [ND8]: uel totius add. super lin.

Commented [ND9]: diaboli add. super lin.

Commented [ND10]: [fol.155va]

Commented [ND11]: sui add. super lin.

Commented [ND12]: preparationem add. super lin.

stella luculentior non noscimus aliam, cognitis nobis utitur exemplis. Quamuis alio ait, messem iam adesse, ut cum dicat de samaritanis, eleuate oculos uestros, et considerate regiones, quoniam albae sunt iam ad messem. Et rursus messis quid multa, operarii autem pauci. Qualiter igitur illic quid messem iam adesse ait, hic autem, futuram in esse? Messem dixit, secundum alium significatum. Et qualiter alio dicens, quoniam alius est qui seminat, et alius est qui metit. hic eundem ait esse eum qui seminat, quoniam illic non ad sui differentiam, sed apostolorum, prophetas dixit. Quod et in iudeis dixit, et samaritanis. Etenim et per prophetas ipse seminavit. Est autem ubi, et messem, et semen idem uocat, ad aliud, et aliud, id nominans. Cum enim persuasionem et oboedientiam oboedientium dicat, messem id uocat, ut totum perficiens. Cum autem fructum inquirat auditionis, semen et messem consumationem dicit. Et qualiter alio ait, quoniam primi iusti rapiuntur. Rapiuntur quidem primi, adueniente autem christo, traduntur hii penae, et tunc in regnum caelorum abeunt, illi. Quia enim eos in caelo oportet esse, hic autem ipse ueniet, et iudicabit omnes homines, dans condemnationem his, uelut quidam rex surgit cum amicis suis, ad beatam requiem eos reducens. Vides duplicem penam existentem, et in hoc quod comburuntur, et in hoc quod a gloria illa excidunt? Sed cur iam illis recedentibus et eis in parabolis loquitur? Sapientiores ex his quae dicta sunt facti sunt, quod intelligunt. Quo circa dicit eis postea. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei utique domine. Ita cum aliis, et hoc corripit haec parabola, quod attentiores eos fecit. Quid igitur ait rursus. Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro. Quem inueniens homo abscondit, et pro gaudio eius, uadit et uendit omnia quaecumque habet, et emit agrum illum. Rursus simile est regnum caelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas. Qui inueniens unam pretiosam margaritam, abiens uendit omnia quaecumque habebat, et emit eam. Sicut illic gratum sinapis, et fermentum, paruam quandam habent abinuicem differentiam, ita utique et hic duae haec parabolae, et quae thesauri est, et quae margaritae. Etenim hoc per utraque enigmatica insinuat, quoniam oportet predicationem omnibus prehonorare. Et illa quidem quae est fermenti, et quae est sinapis, ad uirtutem dicta est predicationis. Et quoniam superabit orbem terrarum omnino. Haec autem preciositatem et magnificentiam demonstrant, extenditur enim ut sinapis, et superat ut fermentum, pretiosa autem est ut margarita, et multiplicem prebet negotiationem ut thesaurus. Non utique hoc solum est discere, quoniam omnia alia oportet expellentes predicationi copulari, sed quoniam et cum gaudio hoc oportet facere. Et renuntiantem his quae possidet oportet scire, quoniam negotiatio haec res est non iactura. Vides qualiter occulta est et in mundo hoc, haec predicationis? et in predicatione haec sunt haec bona? etsi non uendideris omnia non emes, etsi non animam talem habueris, sollicitam et querentem non inuenies, duo oportet adesse, et a uitae huius negotiis abesse, et uigilantem esse. Querenti enim ait bonas margaritas, qui inueniens unam pretiosam margaritam, uendit omnia, et emit eam. Una enim est ueritas, et non partita. Et sicut qui margaritam habet, ipse quidem nouit, quoniam diues est, multis uero non est cognitus, multoties manu detinens eam, non enim est tumor corporis, ita utique et in predicatione. Qui quidem eam detinent, noscent quoniam diuites sunt. Infideles autem thesaurum nescientes hunc, et diuitias nostras ignorant. Deinde ut non confidamus in predicatione solum, neque sufficere fidem estimemus ad salutem nobis, dicit et aliam terribilem parabolam, qualem autem hanc? eam quae est sagenae. Simile enim est ait, regnum caelorum sagenae missae in mari, et ex omni genere congreganti, quam quando plena est afferentes ad litus, et sedentes, collegerunt bona, et miserunt in uasa. Putrida autem, miserunt foras. Et quid distat haec a parabola zizaniorum? Etenim illic, hii quidem saluantur, illi autem pereunt. Sed illic quidem propter pernitiosorum dogmatum heresim. Sed et hii qui sunt ante hoc, quia non attendebant ea quae dicebantur. Multi autem, propter uitae nequitiam, qui omnibus sunt miserabiliores, cognitione quidem fruente et piscatione capti. Non

Commented [ND13]: uel tradere add. super lin.

Commented [ND14]: phariseis add. super lin.

Commented [ND15]: [fol.155vb]

Commented [ND16]: passioni add. super lin.

Commented [ND17]: preponere add. super lin.

Commented [ND18]: [fol.156ra]

Commented [ND19]: uel electionem add. super lin.

Commented [ND20]: id est in sagenae add. super lin.

potentes autem neque ita saluari, quamvis alio ait, quoniam ipse segregabit eos sicut separat pastor oves, hic autem angelos hoc facere ait, et in zizaniis. Ita enim erit in consumatione seculi. Exibunt angeli et segregabunt perniciosos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis, illic erit fletus, et stridor dentium. Quid igitur est? quandoque quidem crossius eis loquitur, quandoque autem altius. Et hanc parabolam neque interrogatus exponit, sed sponte a parte eam notam fecit, et timorem haec auxit. Vt enim ne audiens quoniam putrida miserunt foras, non periculosam esse estimes hanc perditionem, per expositionem ostendit penam dicens, quoniam in caminum mittent, et stridorem dentium, et dolorem ineffabilem existentem ostendit. Vides quantae perditionis sunt viae, quae est per petram, quae per spinas quae per uiam, quae per zizaniam, quae per sagenam. Non ergo indecenter dixit, quoniam lata est uia quae abducit ad perditionem, et multi sunt qui ingrediuntur peream. Haec igitur dicens, et in terribilitatem concludens sermonem, et ampliora his monstrans, magis enim in ipsis immoratus est ait. Intellexistis haec omnia? Dicunt ei, utique domine. Deinde quia intellexerunt, rursus eos laudat dicens. Propter hoc omnis scriba doctus in regno caelorum, similis est homini domus dominatori. Qui emittit de thesauro suo noua et uetera. Ideoque alio ait, mittam uobis sapientes et scribas. Vides qualiter non proicit uetus testamentum, sed et laudat, thesauram id uocans? Quare quicumque diuinis sunt inexperti scripturis, non utique erant domus dominatores. Quicumque neque ipsi habent neque ab aliis accipiunt, sed contempnunt seipsos infame cum corrumpantur. Non hii autem solum, sed et heretici, sunt extra beatitudinem hanc. Non enim emittunt noua et uetera, neque enim habent uetera, ideoque neque noua. Quemadmodum qui noua non habent, neque uetera habent, sed alterutris priuati sunt. Haec enim ad inuicem colligata sunt, et connexa.

Commented [ND21]: [fol.156rb]

Audiamus itaque quicumque scripturarum lectionem negligimus, quantam sustinemus iacturam, quantam inopiam. Quando enim conuersationem que est per opera assumemus, qui neque ipsas leges nouimus secundum quas conuersari oportet? Sed diuites quidem, qui circa pecunias insaniunt, continue excutiunt uestimenta sua, ut non tineis esca fiant. Tu autem tinea difficilior, uidens oblationem officientem animae tuae, non potiris libris, non expellis iacturam? non ornas tuam animam? non intueris continue imaginem uirtutis, et membra eius, et caput addiscis? Etenim caput habet, et membra, omni muliere speciosa et decora pulcriora. Quod igitur est caput uirtutis? humilitas. Ideoque ab ipsa incipit christus dicens. Beati pauperes spiritu. Hoc caput, non comas habet et capillos, sed pulcritudinem talem, que potest ipsum deum attrahere. Ad quem enim inspiciam ait, nisi ad mitem, et quietum, et humilem, et trementem meos sermones, et oculi mei, ad mites terrae, et prope est dominus his qui tribulati sunt corde. Hoc caput pro capillis, et comis, sacrificia fert quae deo largiuntur, et templum aureum ipsum est et altare spirituale, sacrificium deo, spiritus contribulatus, hoc est sapientiae mater, si hoc habuerit aliquis, et reliqua habet. Vidisti caput quale numquam uidisti? uis et faciam uidere? Itaque discite interim eius colorem, rubrum et floridum, et multam habentem gratiam, et discite unde consistat. Vnde igitur consistit? a uerecundia, et rubore. Ideoque ait, quidam dixit, ante uerecundum, procedet gratia, hoc et in aliis membris, multam detinet pulcritudinem, etsi decem mille miscueris colores, non operaberis talem faciem. Si autem uoueris et oculos uidere inde decoratione et sobrietate cum diligentia subscriptos. Ita autem boni et perspicaces efficiuntur, ut et ipsum dominum uideant. Beati enim ait mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Os autem ei, sapientia, et prudentia, et spirituales hymnos scire. Cor autem, scripturarum experientia, et filantropia id est amor hominum, et benignitas, et quemadmodum sine hoc non est uiuere, neque sine illa saluari est unquam. Etenim illinc omnia generantur bona. Sunt enim ei et manus et pedes, bonorum operum demonstratio, est ei et anima, pietas, est ei pectus aureum, et adamante solidius, fortitudo, et

Commented [ND22]: Morale xlvii. quoniam mittam iacturam sustinemus, negligentes lectionem, et diuinis scripturas, et quod ignorantia omnium malorum exiit causa, et quoniam non possibile est saluari hominem, sine humilitate, et helemosina. *notum in marg.*

Commented [ND23]: uel super add. *super lin.*

Commented [ND24]: uel super add. *super lin.*

Commented [ND25]: [fol.156va]

Commented [ND26]: uel effundit add. *super lin.*

Commented [ND27]: et dogmatum certarum experientia *notum in marg.*

omnia capi est facile quam hoc rescindi pectus. Spiritus autem quod in cerebro et in corde est amorem. Vis et in ipsis operibus ostendam tibi hanc imaginem? Excogita michi hunc ipsum euangelistam, quamuis non omnem eius uitam scriptam habemus. Sed tamen et ex paucis eius imaginem est uidere fulgentem. Quoniam igitur humilis et contritus fuit, audi eum post euangelium telonem seipsum uocantem. Quoniam autem et misericors, uide omnia exutum, et sequentem ihesum. Quoniam autem et pius, manifestum est a dogmatibus, sed et prudentiam eius ab euangelio quod composuit, non facile est uidere, et amorem. De orbe enim terrarum diligens fuit, et bonorum operum demonstrationem, a throno quo est sessurus. Sed et fortitudinem, ex quibus gaudens reuersus est a concilio. Zelemur igitur uirtutem hanc, et maxime omnium, humilitatem et helemosinam, sine quibus non est saluari. Et ostendunt hoc, quinque uirgines, et cum illis phariseus. Sine uirginitate enim, regnum possibile est uidere. Sine helemosina autem, impossibile. Necessariorum enim, et totum continentium hoc est, non ergo indecenter, cor id uocauimus uirtutis. Sed cor hoc nisi prebuerit omnibus spiritum, uelociter extinguitur. Quemadmodum igitur et fons si continerit aquas apud seipsum putrefit, ita et diuites cum apud seipsos ea quae sibi existunt detinerint. Propter hoc et in communi consuetudine dicimus, multa putrefactio diuitiarum est apud illum, et nunc dicimus, multa habundantia, multus thesaurus. Etenim putrefactio est non eorum qui possident solum, sed et ipsarum diuitiarum. Etenim uestimenta iacentia corumpuntur, et aurum eruginetur, et frumentum deuoratur. Sed et anima, haec habentis, his uniuersis magis, sollicitudinibus et eruginetur et putrescit. Etsi uolueris uidere amantis aurum animam, quemadmodum uestimentum a decem milibus corrosus uermibus, et nichil habens sanum, ita inuenies perforatam eam undique a sollicitudinibus a peccatis putrefactam, erugine plenam, sed non anima inopis est talis, inopis uoluntarii, sed fulget quam, uelut aurum, splendet autem uelut margarita, florescit autem, uelut rosa. Non enim est illic tineae, non est illic fur, non est sollicitudo uitae huius negotiorum. Sed et sicut angelus ita conuersatur. Vis animae huius pulcritudinem uidere? Vis inopiae diuitias addiscere? non subiacet demonibus, non assistit regi, sed adsistit deo, non militat cum hominibus sed militat cum angelis. Non habet arcas duas uel tres, uel uiginti, sed talem habundantiam, ut mundum uniuersum nichil esse estimet. Non habet thesaurum, sed caelum, non indiget seruis, magis autem habet seruos passiones. Habet seruos cogitationes quae regum dominantur. Quae enim iniungit purpuram circuminduto, haec cum formidat cogitatio, et respicere non audet. Regnum autem et aurum, et omnia talia, quemadmodum puerorum ludibria deridet, et sicut rotas, et ossa, et pilam, ita omnia haec existimat esse contemptibilia. Habet enim mundum, quem neque uidere qui in his ludunt possunt. Quid igitur paupere hoc melius umquam est? Pauimentum denique habet caelum. Si autem pauimentum tale est excogita tectum, sed non habet equos et currum? Quid autem ei his opus est qui super nubes uehi debet, et esse cum christo. Haec igitur excogitantes, et uiri, et mulieres, illas queramus diuitias, et in consumptibilem superhabundantiam, ut et regno fruamur, gratia, et filantropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, per quem, et cum quo patri gloria, imperium, simul cum sancto spiritu, nunc et semper et in secula seculorum amen.

Commented [ND28]: cariore add. super lin.

Commented [ND29]: [fol.156vb]

Commented [ND30]: uel recondita add. super lin.

Commented [ND31]: afficietur add. super lin.

Commented [ND32]: uel auari add. super lin.

Commented [ND33]: [fol.157ra]

Commented [ND34]: genera add. super lin.

Commented [ND35]: ludo add. super lin.

Commented [ND36]: pilcrum add. super lin.